



26. 15



*Quod felix & faustum esse jubeat Sacrosancta
Trinitas,*

107.

EJUS AUSPICIO

119

De

ACCURATO PHILO-
SOPHANDI GENERE,

Potissimum circa applicationem terminorum ad res
divinas observando,

*Senatu Philosophorum Amplissimo
ita jubente Imq̄*

PRO LOCO in eâ Facultate sibi benivolè
concesso disputabit

M. JOHANNES SCHARFIUS,

Croppenstadiâ Halberstadensis Saxo, Facultatis
Philosophicæ Adjunctus,

In Inclutâ WITTEBERGENSI ACADEMIA,

Respondente

GEORGIO VOGLERO,

Pegnitzo Franco,

Ad diem 13. Februarii horis

à 7. matut.

In Auditorio Majori,



WITTEBERGÆ,

Ex officina typographica CHRISTIANI THAM,
Academ. Typogr.

M DC XXIV.



DISPUTATIO

De

ACCURATO PHILOSOPHANDI GENERE.



Uanti ex contemptu ablectioris Philosophia, & ex pravâ terminorum Philosophicorum applicatione hæc tunc enati sint errores, atq; adhuc quotidie magis magisque succrescant, experientia testatur nimium, & vel in hæreticis, maxime in Photinianis, est perquam notorium: adeo ut ipsissima necessitas ubiq; suadeat, ubiq; jubeat hic cautius evigilare, ut, si fieri possit, tanto malo, tam pernicioso, tam vehementer grassanti, si non remedium emendandi aut averruncandi inveniatur, saltem impedimentum ulterius grassandi opponatur. Quam in rem ego nunc quedam attentare, insimul & monere volui de Accurato & legitimo Philosophandi genere: ita scilicet ut ostendam viam rectè tenendi terminos Philosophicos, eosdemq; dextrè applicandi ad conceptus Transcendentes, & divinos, non raro etiam ad summa mysteria, ubi ubi opus fuerit. Quo ipso non poterit non unà patefieri fraus & iniquitas Sophistarum & hæreticorum in usurpandis adhibendisq; terminis. Quæ dum tento, nolo ita accipi, ac si ego aliis præjudicare aut quicquam præscribere, aut me jactitare velim: id enim non est mea aetatis, nec mei sive genii sive ingenii: Verum hoc facio & facturus sum, ne meis sapientia donis, si quæ mihi sunt à Deo concessa, communi usui deesse videar. Et quidem multa circa præsentem materiam di-

cenda essent, hac tamen vice in itii loco potissima duntaxat, eaq; maximè necessaria praeferam, sine quibus in accuratiorè literaturâ haut licet quicquid benè perficere aut exsequi. Sit itaq; cum bono DEO

THESIS I.

Duo nunc potissimum constituo universalìa Philosophi officia: *Unum* absolvitur accuratâ rerum Philosophicarum, terminorum & principiorum notitiâ; *Alterum* eorundem usu genuino. Primum enim, qui philosophari vult, debet res suas *rectè cognoscere, & veritatem sui objecti exquirere*, ut indè distinctam eruat cognitionem eorum, quæ ad ipsius literaturam perficiendam spectant. Deindè verò illa *cognita transferre ad suum usum*, vel illis juxta naturam, convenientem uti.

II. *Quoad prius* suppono: Intellectum nostrum in cognitione rerum non mensurare res, sed mensurari à rebus, ut rectè aliàs tenet tritum philosophorum axioma. Etenim *debet intellectus cognoscere res, prout in se sunt extra ipsum*, ita, ut intellectio ipsis rebus conformetur, non verò contra res conformentur ad intellectum.

III. Notum enim est, quomodo omnis *cognitio sit ad similitudinem inter cognoscentem potentiam & objectum cognitum*, qua intellectus per expressionem actu fit ipsa res, quæ cognoscitur: ut disputant physici in doctrina de Anim. Confer *Arist. 3. de An. cap. 7. & seqq. Connubr. in Comment. ad lib. 3. de Anim. p. 485. 486. Gilb. Jacch. Instit. phys. lib. 9. c. 4.*

IV. Indè jam dico, quod *Veritas cognitionis tota & omnis, quæ est in Philosophiâ, consistat in congruentiâ intellectus ad res ipsas, secundum speciem ab objecto productam, & ab ipso conceptam.*

V. Scilicet *cognitio humana ubiq; normatur, regulatur, mensuratur, adeoq; & verificatur ab ipsis rebus*, quarum est cognitio.

VI. Quo posito & supposito, præ omnibus anticipemus oportet, *notitiam nostram in philosophicis meditationibus nequaquam fundari in scriptis hujus vel illius auctoris, nec verificari à libris aut literis consignatis.* Sunt enim saltem arbitraria signa conceptuum vel eorum, quæ fuere in mente scriptoris.

VII. Neq; etiam putemus *scientiam Philosophicam mensurari à persona loquente, proponente aut scribente.* Attendendum enim potius quid

quid dicatur, quàm quis dicat. Rectè Philosophus lib. 0. Metaph. cap. ult. docet: *Non propterea, quod nos te verè putamus album esse, tu albus es, sed propterea quod tu albus es, nos, qui dicimus, verum dicimus.* Plura hæc de re qui desiderat, legat accuratissimam disputationem Dn. D. Jacobi Mart. de Vero, Uno & Simpliciter, ubi prolixè ostendit, quomodo Veritas (cognitionis) dependeat unicè ab objecto sive re ipsa, quam repræsentat & enunciat, non verò à subjecto sive personâ illam cognoscente aut eloquente. Item Inst. Log. lib. 3. cap. 5. can. 8. & 9.

II. Hinc ergò apparet, quàm misera sit & servilis illorum, maximè Ramistarum, conditio, qui in suis studiis Pseudosophicis unicè inhærent libris & autoritatibus humanis, quasi fundamentum veritatis Philosophicæ in iis contineatur.

IX. Gens sanè Ramæa, ut artes in libris essentialiter contineri somniat, ita etiam nunquam ad accuratam Philosophiæ notitiam pervenire potest, errores ex erroneis scriptis undiquaq; erroribus cumulando.

X. Quin imò & apertè hinc redargui possunt vana ista calumnia, ex purâ putâ ignorantia ortæ Misosophorum, quibus Philosophiam cerebri humani sigmentum esse claimitant, indeq; variè eam variis convitiis frustrâ traducunt. Attendere deberent isti audaculi, quod Philosophia sit cognitio, partim ipsius Dei naturalis, partim creaturarum à Deo conditarum. Quam sanè sapientiam Homo non facit vel fingit, sed saltem apprehendit, inquirit, indagat, suisq; præceptiunculis manifestat: modò adsequatur id, quod in re ipsa est.

XI. Adhuc itaq; urgemus, quod intellectus humana debeat esse expressa REI similitudo, à RE sive ab objecto dependens, & in mente repræsentata: Adeoq; vera demum ea sit cognitio, si species rei, quæ est in intellectu, respondeat objecto extra-realiter posito atq; constituto.

XII. Quandocunq; ergò intellectus apprehendit res ut sunt, easque, ut in natura compositæ sunt, componit, ut divisæ, dividit, & ex his discurrit, tum veritatem se consequutum esse quit gloriari.

XIII. Hoc fundamento constituto, nunc continuò circumspiciamus oportet, quomodo mens veritatem illam Philosophicam in ipsis rerum thalamis absconditam radicatamq; eruat, erutam accuratè teneat, atq; contempletur.

XIV. Multa verò hanc in rem non inutiliter dici possent de modo cognitionis humanæ: Quomodo hæc sit *discursiva*, non intuitiva: Quomodo procedat *originaliter à sensibus*, juxta illud Philosophi, *Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu*: Quomodo per *inductionem & experientiam exstruat universalia*; Sed de iis partim alibi disputavimus in peculiari disputatione de modo cognitionis humanæ, partim non adeò sunt præsentis instituti. Nunc enim saltem ea attingere animus est, quæ in *accuratiore via cognoscendi res Philosophicas omninò observanda veniunt atq; urgenda*.

i. XV. Primum autem & maximè necessarium medium, quod in *Abstractio* accurato philosophandi genere principatum obtinet, est *ABSTRACTIO*, adeò quidem, ut non immeritò in veriverbium abierit: *Solum à se in- vicem. lus est Philosophus, qui benè abstrahit.*

XVI. Quia enim impossibile est, ut intellectus omnia simul uno actu, quæ in re sunt, concipiat: omninò necessarium est, ut unum post aliud & sejunctum ab alio distinctè apprehendat, id quod fit per solam abstractionem mentis.

XVII. Abstractio enim est ille mentis actus, quo uno apprehenso, non apprehendimus aliud, licet ipsi de facto maximè sit conjunctum. Et rectè *Baranzanus part. 1. Summa phil. disp. 3. q. 3. ait*: *Abstractio nihil aliud est, quàm cognitio terminata ad unum, non cognitis his, quæ cum eo sunt conjuncta, sive non terminatur ad alia sibi annexa.*

XVIII. Hac abstractione mentis res liberantur à conditionibus individuantes & *ἀπλως* in sua quiditate spectantur: Abstractione res concretæ atq; compositæ sejunctis conceptibus distinctè apprehenduntur: Res confusæ & multiplices statuto ordine cognoscuntur: Substantialia ab accidentalibus separantur: Ratio totius à partium ratione sejungitur: Accidentia à semetipsis invicem discernuntur: Natura à suis modis distinguitur: Essentia ab adhaerentibus vitiis discriminatur.

XIX. Undè & *distinctos ubiq; efformat intellectus conceptus*, quorum hic rationem substantiæ, alter accidentis, alius totius, alius partis &c. sistat quiditatem.

XX. Et hoc ita necessarium in accuratiore contemplatione, ut *sine Abstractione nihil quicquam liceat benè efficere*. Sic nisi peccatum tanquam vitium accidentale abstrahas mentaliter à natura hominis, non.

non sanè intelliges, quomodo Salvator noster sine peccato sit conceptus, & tamen habeat integram humanam naturam. Similiter contra Flacium non verè demonstrabis neglectâ Abstractione, peccatum neutiquam esse ipsam hominis substantiam. Et ita porrò in infinitis aliis.

XXI. Neglectâ aut insuper habitâ hac viâ abstrahendi permagni orti sunt ubiq; errores, & adhuc non minores succrescunt. Photiniani λόγος, Salvatorem nostrum, negant reverà esse hominem, etiam exindè, quod *humanitas eius non sit Persona*. Error hic est sat crassus, & fortè ortus ex neglectu abstractionis. Corrigatur ergò ex abstractione, & abstrahatur humana natura à modo suppositivitate sive personalitate, & apparebit, quod humanitas in se essentialiter perfecta sit, licet propria personalitate non subsistat, adeoq; careat illo modo suppositivitate, qui aliàs solet superaddi juxta naturalem statum humanis naturis. Calviniani contra nos pugnare solent quasi veram Christi humanitatem negaremus, dum illam negamus esse in certo loco. Quid ibi aliter cogitandum, quàm quod error cumuletur, dum Calviniani nolunt abstrahere substantiam humanitatis ab accidentibus. Abstrahamus ergò & veritas humanæ naturæ manebit: Abstrahamus accidentia interna ab externis, & ea, quæ immediatè rei constitutionem concomitantur, ab iis, quæ ex imperfectione quadam accidentali oriuntur; & orthodoxa nostra sententia de humanitate Christi constabit ratissima.

XXII. Verum non unus duntaxat conceptus objectivus discerni debet præcisione mentis ab alio, sed porrò etiam alia addenda est ^{2.} Abstractio
ABSTRACTIO, eaq; non minus urgenda, ULTIMATA nimirum unius ejus-
& PLENARIA UNIVS EJUSDEMQUE CONCEPTUS ABSTRACTIO, quâ unus idemq; conceptus ritè pleneq; eruat³ur ex omnibus, quibus conceptus Plenaria.
ratione subjectorum vel accidentibus vel imbecillitatibus subjacet, ita ut nequè in cognitione alicujus termini subsistamus, neq; ad applicationem descendamus, nisi conceptus iste ultimâ abstractione sit potius, & quid de formali importet, exactè fuerit deprehensum, atq; diu ruminata advertentia confirmatum.

XXIII. Quod dico attentè pensandum est. Nam nec sine hac abstractionis viâ feliciter progredi poteris. In foro Philosophico non sanè distinctè cognosces quiditatem materiæ vel formæ, nisi eam ex
omni-

omnibus, tum corporibus, tum corporum conditionibus, vindicetam introspicias. Sic materiam primam esse eandem in celestibus atq; in sublunaribus non adsequeris, nisi materię rationem dijudices in ultima abstractione: non prout est in elementatis; sed prout in se & sua natura se habet: Non ex eo, quod ipsa in inferioribus naturis per accidens fiat principium transmutationis; sed ex eo, quod ratio materie per se infert, quod ipsi propria natura indidit, quodq; munus in omnibus omninò corporibus præstat atq; exhaurit: Scilicet *re- cipere in sese formam ad constituendum aliquod compositum*. Ita si ultima- tò abstraxeris materiam, non difficile erit identitatem ejus in omni- bus corporibus perspicere, cum illa *formalis ratio materie primæ* in omnibus eadem reperiatur.

XXIV. In foro Theologico disceptari cepit de Personis divinitatis, num sint veræ Relationes. Ramista quidam negat exindè, quia *Rela- tio est accidens*. Sed miser ille homo abstrahat terminum Relationis, cumq; in ultima sua formalitate consideret, & suam ignorantiam nolens volens agnoscere cogetur. Quod si enim perpenderis Rela- tionem, non prout est in hac vel illa materia particulari, sed for- maliter & prout in sua natura est, mox apparebit, quod *Relatio ut sic in ultima abstractione sumpta dicat ESSE AD*, hoc est, respectum ad a- lium terminum, quo illud esse Relativum terminetur.

XXV. Jam facilè constat, quod *Persona divinitatis verè sint & di- ci possint Relationes*, eò quod inferant respectum realem ad se mutuo. Sic Pater refertur ad Filium, etiam in divinis, & est filii Pater. Filius æternus est patris æterni Filius, & Spiritus S. est utriusq; Spiritus.

XXVI. Nihil verò est, quod iste Ramista obgannit de accidente. Non enim omnis Relatio est accidens, utpotè *Transcendentalis*, sed saltem prædicamentalis illa, de qua in prædicamento Relationis di- rectè agi solet. Et licet in quadam Relatione (in inhærente] simul involvatur ESSE IN, Hoc tamen *non formaliter est in Relatione, sed materialiter, & saltem prout Relatio est in hac vel illa specie*. Quæ acci- dentalis conditio Relationis omninò abstrahi debet à Relatione, ut sic, universaliter sumta.

3.
Inquisitio
in formale
termini.

XXVII. Huic abstractioni tertia vice in accurato philosophan- di genere succenturiatur INQUISITIO IN FORMALEM TER- MINORUM RATIONEM. Etenim nimio perè interest verum

ubi

τοῦ ἢ ἐν αὐτῷ terminorum venari. Proinde circumspiciendum est cau-
tius, seduloq; id agendum, ut *conceptum formalem alicujus termini* in-
dagemus exactius.

XXIIX. Rationem hanc quidativam noematum obtinere po-
terimus, quando scilicet non acquiescimus in iis, quæ rebus seu
conceptibus inesse deprehenduntur, prout *in his vel illis subjectorum*
conditionibus existunt, sed ulterius progrediendo omnia, à quibus iste
conceptus est abstractus, & quibus iterum attribui debet, percurri-
mus, conferimus, expendimus: donec eluceat, quidnam conce-
ptus iste *hiscæ omnibus commune* habeat, scorsim *in sua idea* spectatus,
quodq; iis omnibus sine errore adaptari possit: Adeoq; quid *de se &*
precisè formatus in sua ratione & entitate definitiva importet, obtineatur.

XXIX. Hoc si non modò in Philosophia, sed etiam in omni-
bus penè disputationibus probè observaretur, non sanè tot ancipi-
tes & maximam partem iniquæ passim audirentur opiniones. Ne-
scio enim num ullus sit error in Philosophia, qui hoc unico medio
observato non facile animadvertatur & profligetur. Non desunt,
qui *Deum substantiam esse negant*. Cur ita quæris? Scilicet *substantiam*
accidentibus substare ajunt, adeò ut illam describere audent, quod ha-
beat *proprium esse & sustineat accidentia*. Sed error est, qui facile ejici-
tur, si inquiratur *in formalem substantiæ rationem*: Ubi offeret sese *ad*
subsistere, ita ut substantia formaliter & præcisè sumta sit *ens subsistens*.
Hoc enim omnibus substantiæ nomine gaudentibus reverà & ad-
æquatè tribuitur.

XXX. Quod verò Substantia nonnunquam sit *subjectum acciden-*
tium, id ipsi planè est accidentarium, & *contingit substantiæ cuidam*,
quatenus applicatur ad creaturas, & ex accidentali compositione.

XXXI. Si ergò *formalem substantiæ rationem* sumis & quidativè
in propria formalitate consideras substantiam, optimè & *propriissi-*
mè Deus erit substantia, cum ipse propriissimè subsistat, & à se, per se
proprium esse habeat.

XXXII. Photiniani contumaciter pugnant *unum non posse esse*
commune pluribus. Inde q; nostram fidem infringere allaborant, quã
credimus *Deum in essentiã unum, & trinum in personis*. Putant enim si
essentia Dei sit una, quod tum nequeat esse communicabilis tribus
personis. Verum inquiramus in *Formalem rationem Unitatis*,
& error iste subito corruet.

XXXIII. *Unum est, quod in se Indivisum est, inquit Unanimis Philosophorum nobiliorum corona. En Unitas in se & de se non infert Incommunicabilitatem; sed indivisibilitatem! Ergo Unitas non opponitur communicationi, sed divisioni.*

XXXIV. *Hanc formalem rationem Unius quando urgemus, adeoq; de Unitate judicamus, non prout reperitur in creaturis, sed ex sua natura; citra omnem difficultatem error iste Photinianorum profligatur. Apparet enim, quod ad unitatem formaliter non ponatur communicabilitas, quam isti in data objectione urgebant, sed per accid. & materialiter in creaturis, ita se habeat Unitas. Ex materiali autem & accidentali termini conditione argumentari ad rationem termini universalem est valde absonum, & in accuratiore philosophandi via planè ridiculum.*

XXXV. *Quocirca hac tria modo allata castigatioris Philosophiae praesidia in primo suo officio Philosophus sedulo observet, necessum est, nisi errores ubiq; cumulare velit.*

XXXVI. *Porro, ut ad alterum Philosophi officium accedamus, quod usum terminorum philosophicorum, vel doctrinae ritè cognitaе usurpationem attinet, in aprico est, quod iste usus Philosophiae sit, vel esse possit multiplex & multivarius in docendo & disputando: potissimus autem elucescit ex accurata terminorum principiorumq; applicatione.*

XXXVII. *Quae ut rectè fiat, cautè circumspiciendum, in primis ubi termini ex naturalibus desumpti ad conceptus mysticos & non raro ad summa mysteria propter penuriam vocabulorum sunt applicandi. Tunc enim facile fieri potest, ut in errores praecipis agiteris, nisi certis praesidiis & adjumentis praemunitus procedas.*

XXXVIII. *Varia quidem hic & annoranda & observanda venient, partim ex Metaphysica, partim ex Poetica & habitu Intelligentie, partim ex Logica medietullo derivata: sed nec in unâ disputatione possunt condignè proponi, nec mei nunc est instituti omnia confectari. Saltem potissima & maximè necessaria in accuratiore philosophandi genere, inq; terminorum applicatione circa conceptus mysticos observanda nunc attingo, quorum primum est Ampliatio, alterum Analogia, & tertium Liberatio termini ab omni imperfectione.*

XXXIX. *Ampliare dicimur non tantum in Enunciationibus, quando terminus à minore suppositione ad majorem extenditur, uti Hispanus & Summulista P. Hispani commentatores, in Paris Logicis docent:*

ent: sed quàm maximè etiam *Ampliatio termini simplicis* fieri potest & debet.

XL. *Ampliatio* hæc instituitur, quando terminus simplex, data re aliquâ, cui non quadrat contractus, magis magisq; & ulterius extenditur atq; abstrahitur ita, ut sine discrimine ipsius rei possit ipsi appropriari.

XLI. Non enim de termino est iudicandum, quatenus in hac vel illa specie reperitur; sed semper ex eo, quod *simplici suppositione* viq; propriâ infert. Scilicet *formale termini* ubiq; quærendum est & tenendum, uti modo visum est.

XLII. Aristoteles *potentiam activam* dicitat esse *principium transmutandi aliud, in quantum aliud*. Quæ ratio potentiaæ activæ *materialis* est, non formalis, nec competit omnibus agentibus, sed saltem quibusdam.

XLIII. Deus sanè est *potentissimus*. Etiam intellectui non deneganda est vis activa. At verò Deus *suam divinitatem non exercet cum transmutatione*. Quid enim in creatione transmutavit, ubi nihil erat? Neq; intellectus propriè transmutando suas perficit operationes.

XLIV. Itaq; illa *Aristotelica suppositio potentiaæ activæ* nimis contracta erit, & saltem *pro quibusdam potentiaæ speciebus* formata. Nos ergo si rectè accurateq; velimus applicare illum terminum ad omnia agentia, prius *ampliemus terminum potentiaæ activæ* oportet; ita ut illum non saltem ex creaturarum potentiaæ determinemus, sed eum porro abstrahamus & extendamus, quò possit omnibus verè agentibus revera quadrari.

XLV. Sic ergo dicamus: *Potentiam Activam* in sua ampliata ratione non mox inferre principium transmutandi, sed *principium Agendi*, hoc est, vim seu *divinitatem* operandi, sive postmodum in specie illa se exerat cum motu, quod finita est, sive sine motu, quod infinitæ proprium.

XLVI. Quo observato sine omni prorsus erroris periculo dicitur, *Deo maximè potentiam activam convenire*, adeò ut sine mutatione illam miraculosè spectandam exhibeat. Sic & intellectus benè erit principium agendi.

XLVII. Similiter de *Principii voce* tenendum. Vulgo quidem dicitur. *Principium est id, unde aliquid est aut fit aut cognoscitur*: sed nisi cautè hic procedas, facilè poteris blasphemiarum portas aperire hæreticis Photinianis.

XLIX. Ex patrum scholâ dicimus, *Patrem æternum esse filii æterni principium*. Et benè, modo ritè terminus Principii ampliatur.

XLIX. Accuratus ergò ita pones. *Principium in sese est & dicitur id, à quo aliquid procedit quocunq; modo*. Sic enim sine errore Principii nomenclationem Deo esse impositam dispalescet.

L. Adhuc implicatior est quæstio, *differantne persone divinitatis realiter, nec ne*. Keckermannus negat realiter differre, metuens, ne multiplicet essentiam Dei. Putat enim nullam esse speciem realis distinctionis, quæ non involvat essentialem.

LI. Sed ille prius *terminum realis distinctionis* in sua justâ ampliatione debuisset attendere, antequam hæc divulgasset. Immo si vel saltem rectè cognovisset *naturam distinctionis realis*, non tam enormiter peccasset.

LII. Enormiter falsum est *omnem distinctionem realem statim esse essentialem*: cum esse possit vel *Realis tantum*, vel *Realis & Suppositalis*, qualis est inter duo supposita ejusdem speciei: vel demum unâ & *essentialis*, uti hac de re in Metaph. disput. dictum est fufius.

LIII. Insuper nec hoc ubiq; concedendum, quod *omnis distinctio realis* necessariò absolvatur *inter res & res diversas*: cum etiam esse queat inter modos reales diversos aut oppositos.

LIV. Potius ergò & hic urgeamus *Ampliationem terminorum*. Laudemus illos, qui realem distinctionem extendunt ita, ut denotet diversitatem vel *inter res distinctas*, vel *inter oppositas relationes*, sive istæ relationes involvant plures essentias, uti fit in creaturis, vel plures saltem subsistentias in una individuâ essentiâ.

LV. Sic igitur *distinctio realis* in sua justâ amplitudine revera conveniet etiam illis, quæ differunt ut oppositæ relationes, quarum una est incommunicabilis alteri.

LVI. Jam facilè intelligitur, quomodo *Persona divinitatis* distinguantur realiter; quodq; rectè ipsis distinctio realis accommodetur.

LVII. Præterea essent multa alia, ex quorum applicatione Ampliationis usus præmineret. De *Concreti & Abstracti Logici* vel de *Synonymi & Paronymi ampliatione* si moneremus, fortè nihil abs re faceremus: Immo de multorum *terminorum logicorum ampliatione* dicendum hic esset, quomodo nempe & hi applicari possent ad superiores *conceptus*, pro quorum examine directè non sunt formati ab Aristotele: Sed quia angustia unius disputationis illa condignè capere

non potest: quia insuper alibi de illo momento Logicæ in nostris
commentationibus de Praxi Log. fusius dictum est, idcirco nunc i-
stis relictis ad alia properamus.

LII. Dehinc verò ANALOGIAM quoq; attendant, si qui ac-
curatius philosophari cogitant, & sic vim ablectioris philosophiæ ^{s.} Analogiæ
experientur ineffabilem.

LIX. Sanè Deum & Creaturas in infinitum distare novimus omnes.
Ergo necessum erit, ut inæquali modo, adeoq; per analogiam quandam
termini attribuantur Deo & creaturis. Ut ergo terminos à naturalibus
& finitis rebus desumptos, Deoq; in sacris applicatos ab errore salve-
mus, quàm maximè intererit, ut illi per modum prioris & posterioris,
itemq; per eminentiam explicentur atq; examinentur.

LX. Et quidem hic potissimum urgeamus illam Analogiam, quæ
dicitur ἀπὸ τοῦ ἐν ἑαυτῷ καὶ τοῦ ἐν ἄλλοις ἐν, quæ consistit in hoc, quod in iis, quæ
ita dicuntur ab uno ad unum, sit dependentia necessaria aliorum,
ab uno, quatenus talia sunt.

LXI. Hoc igitur hic notatu dignum, terminos per sepe per modum
dependentie sive prioris & posterioris explicandos esse, ita ut cautè animad-
vertatur, quomodo termini rebus vel profanis vel divinis applicati
subponantur, an sumantur πρῶτος & per se, an verò saltem secunda-
riò & propter aliud, quatenus ordinem habent ad potissimum analo-
gatum. Non rarò namq; contingit, ut terminus, quod huic vel illi
sit approximatus, alii acceptum referre necessum habeat.

LXII. Quo neglecto non tantùm infiniti succrescent errores,
sed etiam permulta nequeunt solidè defensari: Etenim, (ut tacea-
mus Philosophica, quæ in aprico sunt) respice saltem mysteria admi-
randa & veneranda illa unionis tum personalis tum Sacramentalis.

LXIII. Non sanè attributa divinitatis carni Christi passim ap-
propriata salvabis, nisi per analogiam. Non benè percipies, quæ
ratione idiomata divina de utraq; Christi natura dicantur, nisi per mo-
dum analogiæ. Non ab erroribus & blasphemis Calvinianorum,
hæc eadem vindicabis, nisi vim analogiæ urseris.

LXIV. Quod nempè πρῶτος & κατὰ θεὸν dicantur de divinita-
te, cui per se primò insunt, δευτέρως verò & κατὰ ἄνθρωπον de humanitate,
cui participativè tantum propter unionem cum λόγῳ arctissimam
competunt.

LXV. Similiter eveniet in Sacramentorum negotio. Quomodo enim

oralem manducationem corporis Christi in cœna Dominica salvabis nisi per analogiam? Dicendum quippè est manducationem panis oralem primariò esse manducationem, cum sit physica: manducationem verò oralem corporis Christi esse secundariam, adeoq; propter illam Physicam, (quod sacramentaliter cum pane sit unitum) dici & esse manducationem oralem.

LXV. Hæc analogia si rectè perpenditur facilè corruunt Calvinianorum sophismata, quando clamitant, *oralem corporis Christi esionem, aut esse Physicam, aut esse nullam.* Rectissimè ipsis respondet Excell. Dn. D. Jac. Mart. in Exerc. Met. l. 2. exerc. 4. theor. 7. p. 661. per analogiam ipsum esse non tolli, licet modus inessendi sit diversus.

LXVI. Quando igitur manducatio oralis dicitur *genus analogum manducationis panis & corporis*, eo non negatur manducatio corporis, sed reverà asseritur *in sacra cœna sumi ore corporis Christi, & fieri esionem oralem corporis Christi, cum hac tamen limitatione & distinctione, alium esse modum esionis panis, & iterum alium corporis Christi. Ille enim est Physicus & naturalis: Hu verò mysticus & Sacramentalis: Illa manducatio est primò talis; Hæc verò mediante Sacramentali unione propter illam.*

6. LXVII. Deniq; in accurato philosophandi genere & potissimum *Liberatio in applicatione terminorum ad conceptus divinos, frequentissima esse debet termini ab omni imperfectione.* LIBERATIO TERMINI AB OMNI IMPERFECTIONE. Etenim omnes concedunt, Deum non debere æstimari ex abjectæ creaturæ conditionibus.

LXIIIX. Clamitant pariter omnes, ejiciendos esse illos, qui *providentiam divinam & concursum Dei* cum causis secundis negare præsumunt hoc ex capite, quod *ista providentia molestiam Deo crearet*, indeq; defatigaretur Deus. Impium hoc esse omnes clamitant certi, quod *concurrere cum creaturis Deo sit ipsa quies.*

LXIX. Molestiam autem, quam in agendo sentit creatura, esse ob vanitatem, cui est subjecta, nemo non concedit. Removendam igitur esse imperfectionem creaturarum in aprico est.

LXX. Quod oculatissimum philosophandi præceptum *de liberatione terminorum ab imperfectione* (quam non rarò accipiunt termini à creaturarum imbecillitatibus) si piè ponderarent & observarent Photiniani, non sanè non ita *de generatione æterna Filii æterni Patris* ineptirent, nec omnem generationem statim diversas essentias inducere garrirent.

LXXI.

LXXI. Etenim si vel saltem *formalitatem generationis* attenderent, advertent, quod *generatio de se se tantum inferat essentia communicationem, cum consecutione relationum Patris & Filii in intellectuali naturâ*: Vel ut magnus ille Theologus Græverus loquitur, quod generatio generaliter loquendo importet productionem, quâ producens communicat productio eandem, quam habet, naturam. Hæc jam optimè Deo Patri tribui posse videbunt.

LXXII. Sed hæc nondum sufficiunt. Ne enim sibi imaginentur, quasi *Generationis in divinis eadem sit ratio, atq; in corporibus & imperfectis creaturis*, liberandus porrò venit terminus generationis ab omni imperfectione.

LXXIII. Sunt in corporum naturalium generatione duo: *VIA & TERMINUS*. In *via* est quædam *perfectio*, scilicet *nasci & jam generari*. Sed adest etiam *imperfectio* non minima, scilicet *carentia termini*.

LXXIV. Quemadmodum enim omnis *motus* est *actus imperfectus* in potentia entis, quatenus talis: hæc est, est tendentia & via quædam ad id, quod nondum habet, sic etiam *in generatione creaturarum* producitur id, quod nondum erat, adeoq; in omni generatione naturali est illa imperfectio, *non habere terminum ad quem*.

LXXV. Hæc autem omnia imperfectionem habentia: *Mutatio, Tempus, Successio prioris & posterioris, carentia termini ad quem*: non sunt de essentiâ generationis; alioquin corruptio, imò omnis motus formaliter esset generatio, sed accidunt hæc generationi ex imperfectione creaturarum. Cum enim agens creatum communicare suum esse nequeat, nisi prius agendo in materiam carentem formâ illa, quam producere intendit, hinc est, quod agens creatum non possit generare, nisi transmutando subjectum de forma in formam.

LXXVI. Hanc igitur mutationem sive translationem potentia in actum generationi accidere propter generantis. & generandi imperfectionem liquido constat.

LXXVII. Sic etiam *in Termino generationis* est & *Perfectio & Imperfectio*. *Perfectio* termini generationis exprimitur per vocem, *NATUS* est, quod jam res sic producta: *Imperfectio* verò est, quod *DESIT ACTUS NASCENDI*, quodq; ista generatio jam tempore sit finita, & non perpetuetur. Imperfectionis hoc est. Accidit enim generationi ex eo, quod temporis varietate in tempore facta varietur per successione prioris & posterioris.

LXXVIII. Quid jam Photiniani? Quicquid in generatione perfectionis est, abstrahatis, & generationi æternæ adscriberis. *Imperfectiones* autem, quæ ipsi per accidens adhærent, tollatis, nisi velitis res *infinite distantie* confundere. Hoc factio sophismata vestra nullo planè sanioris Philosophiæ subsidio palliata videbi is.

LXXIX. Sed quid? videte potius, quomodo ipse Deus hæc generationis *perfectiones* remotis aliis imbecillitatibus *adlionavit generationi filii sui unigeniti* dum

Psalms 2. graviter ait: **HODIE GENUI TE.** Hodie genui te, ait, attendatur hoc. Cum enim illud, quod fit, quia nondum est, incompletum est; quod autem factum, completum & ita perfectum est, ideo ut removeat istam imperfectionem in via generationis, scilicet carentiam termini, dicit (attendatis Photiniani) dicit inquam, *non genero te*: Sed **GENUI TE**, quia jam perfectus est, & jam terminus Generationis præsens.

LXXX. Et porro ne putetur, *generationem hanc filii aeterni esse in præterito*, ideoq; etiam, ut tollat quoq; id imperfectum, quod est in termino generationis creaturarum, scil. *defectum actus nascendi*: addit insuper & expressè ponit *ipsum nascendi actum*, **HODIE, Hodie**, inquit, Deus ipse Pater filii aeternum geniti. **HODIE GENUI TE**: Ut sit sensus. Perfectus es filius, & generatio tua aeterna est, & semper à me generaris.


LXXXI. Hinc lucidissimè apparet, quomodo *in generatione divinâ etiam ipsa Scriptura conjungat utrumque*, quod antè castigatioris Philosophiæ ratio exposcebat, nimirum *actum nascendi*, & *ipsum generationis terminum*, quod adhuc hodiè filius Dei generetur.


LXXXII. Quocirca & nostræ curæ erit, ut, si modo veritatem velimus ubiq; sartam tectam, ratamque, terminos *præcisè in suâ propriâ formali quidditate* consideremus, & si quæ *imperfectio termino adhaereat ex imbecillitate creaturarum*, quibus unâ est commista res per terminum significata, jam sedulo circumspiciendum erit, ut *terminus liberetur ab omni imperfectione accidentali*, antequam de ejus applicatione ulteriore cogitetur.

LXXXIII. Summatim ergò è dictis ita concludo. Nemo verè, multo minus accuratè, philosophari potest, nisi 1. *abstrahat terminos à terminis*, conceptus à conceptibus, & singulos distinctè consideret expendatq;. 2. nisi *terminum unum eundemq; plenariò & ultimato abstrahat*, illumq; in ultima sua abstractione dijudicet: nisi 3. *in formalem termini rationem inquiret*, ejusq; præcisam propriam quidditatem urgeat: nisi 4. *pro renatâ terminorum positiones ritè ampliet*: nisi 5. *Analogiam attendat*, & in primis *applicationem Analogicam*, ubi ubi opus fuerit, instituat: & 6. deniq; nisi *terminos purificet ab omni Imperfectione accidentali*.

LXXXIV. Proinde prima, eaq; maximè necessaria in Vero accuratoq; philosophandi genere præcepta sunt hæc sex nostra modo delibata. 1. *Abtractio termini à termino*. 2. *Abtractio unius ejusdemq; conceptus ultimata*, 3. *Inquisitio in Formale termini*, 4. *Ampliatio*, 5. *Analogia*, & 6. *Liberatio termini ab omni Imperfectione*.

LXXXV. Quibus observatis non modo orthodoxam veritatem ubiq; facilius perspiciemus atq; defendemus: sed insuper aperitissimè innotescet, quomodo hæretici in suis disputationibus ex ratione contra nos institutis planè *non philosophentur*, sed pessimè & vanissimè *sophisticentur*: quomodo manifestam vim intorqueant Philosophiæ, eaq; fraudulenter abutantur.





Ja 666

ULB Halle

3

002 177 021



5b-200

V017

MC







*Quod felix & faustum esse jubeat Sacrosancta
Trinitas,*

107.

EJUS AUSPICIO

119

De

ACCURATO PHILO- SOPHANDI GENERE,

Potissimum circa applicationem terminorum ad res
divinas observando,

*Senatu Philosophorum Amplissimo
ita jubente Imq³*

PRO LOCO in eâ Facultate sibi benivolè
concesso disputabit

M. JOHANNES SCHARFIUS,
Croppenstadiâ Halberstadenſis Saxo, Facultatis
Philosophicæ Adjunctus,

*In Inclutâ WITTEBERGENSI ACADEMIA,
Respondente*

GEORGIO VOGLERO,
Pegnitio Franco,

*Ad diem 13. Februarii horis
à 7. matut.*

In Auditorio Majori,



WITTEBERGÆ,

Ex officina typographica CHRISTIANI THAM,
Academ. Typogr.

M DC XXIV.